
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

No 3449.



M. Tuscher fecit

= L N 1485

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

CARMEN

AD MAGNIFICVM VIRVM, SPLENDORE GENERIS, PIETATE, ERVDITIONE, ET VIRTVTE VERE NObilem NICOLAVM KAAS, Dominum de Torup, Sereniſsimi Danorum, Noruagiæ &c. Regis Friderici II. Cancellarium, Muſarum fautorem liberaliſsimum, Dominum & Mecœnatem ſuum reuerenter colendum,

á

IACOBO OLAO SKYT VIBVRGENSI

ſcriptum.

Impreſſum Hafniæ à Matthia Vinitore

Anno 1588.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

MAGNIFICO AC GENEROSO DOMINO, D. NICOLAO KAAS, R. M. Cancellario, Domino & Mecœnati ſuo S. D.

CVncta graui quiſquis vitæ diſcrimina ſenſu
Ponderat, & quantos humana negotia motus
Miſcent, quotq́; neces, quot tela, & quanta malo-
Magnorum tormenta ferunt, quid triſtiùs vnquam (rum
Eſt hominum vita? Peccati heu dulce venenum,
Quo violaſſe ſacræ libuit promiſſa quietis
Mandata, huic homines ſorti, fatoq́; ſubegit.
Aſt ira Domini ſeſe redhibente viciſsim,
Cum nos damnatos gratis ſibi rurſus adoptat,
Aſſerit atq; ſuos Chriſto mediante clientes,
Ecquid in immenſo cœli patet atq; iacentis
Circuitu terræ, vita præclarius illa
Quóque vigent homines formæ rationis & vſu?
Hoc Chriſtus de mente Dei ſatus, atq; pudica
Virgine, præſtabat mundo, dum cœlitus orbem
Mens peteret diuina, hominis perfectaq́; membra,
Lugubreſq́; vices, & triſtia fata ſubiret,
Fata quibus præceps peccati munere quiſque
Iret in æternum pœnis deuotus auerni.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Tales icci rco cunas pietatis amore,
Et tam frugiferos cunctis mortalibus ortus,
Quos vel perfectâ ſapientia pangit ab arte,
Quique rudi primum tentant pede claudere verſus
Viuaci fas eſt celebrare poëmate vates.
Hinc quoq; cui numeros Phœbus negat ipſe canoros,
Exhibito nobis magni Iouis incremento,
Ipſe ego ſed tenui modulabor arundine carmen,
Intexamq; meis chartis, quos Muſa labores,
Prima rudimenta, & juuenis primordia venæ,
Mecœnas venerande, tibi mea dedicat, vni,
Cui ſuprema meis oritur fiducia rebus,
Et robur ſtudiis: tenues ne deſpice luſus,
Quod tibi digna tuo haud poliantur carmina ſenſu,
Nec grauitate pari vocis mea Muſa loquatur.
Hæc precor: at noſtris, mecœnas optime, votis
Annue, & æternum manſuros tempus honores,
Et laudis famam, notumq; ad ſydera nomen
Noſtra tuum ſenibus memorabit pagina ſeclis.

T. Magnificentiæ
addict.
I. O. S.

CAR.

CARMEN
De Natali Domini & ſeruatoris noſtri IEſu Chriſti.

AVrea jam remeat roſeis aurora capillis,
Flammiferiq; Iouis puro micat æthere currus,
Quum ſuperûm Galilæa ducem dedit innuba (virgo:
Inde dies oritur cunctis celebranda diebus,
Exhilarans aura mortalia pectora dulci,
Qua libertatis naſcendo CHRISTVS amænæ
Ius genti abjectæ, & palanti reddidit orbi.
Aggredere ergò ſacras mecum celebrare camœnas
Quiſquis in hoc gaudes te partu, & luce redemptum:
Aggredere, & fragrans cordis ſolenniter ara
Thus libata Deo, & laudes mactato decentes.
Namq; ego quo poſſum, ſi fas, venerabor honoris
Munere, tam magni cunas, & principis ortus,
Viribus atq; meis apto mortalibus iſtam
Carmine gratabor lucem, qua numen ademptam
Exulibus nobis certum eſt tribuiſſe ſalutem.
Friuola vaniloqui ſecedite Numina Phœbi,
Numina quæ vati monſtra inſpirare ſoletis:
Præſtò ſed his majus numen conatibus, hujus
Tu mihi Chriſte veni princeps, & carminis author,
Debita quo Triadi ſoluentur grata ſacratæ,
Et tua quale decet cunabula carmen honoris,

 Tempus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Tempus erat mundi, rigido cùm Marte ſubactos
Terrarum faſces Auguſtus Cæſar haberet:
Et jam compoſiti felici in pace vigerent
Mortales, ſtabili pacataq́; fœdere regna:
Nempe triumphatas cum prima exactio gentes
Cenſum, quo pignus ſolum inuiolabile pacis,
Impoſitiq́; jugi conſtans duraret imago,
Soluere præciperet longè latèq́; per orbem.
Iamq́; dies aderat propior, jam venerat hora,
Qua res quiſq́; ſuas juxta cenſendus opeſq́;
Certatim propriam greſſus celeraret in vrbem.
Carpſère ergo viam cuncti, gens Iuda, piuſq́;
Ex Galilæorum terra Ioſepus in vrbem
Iudææ paruam, veteri quam nomine dicunt
Bethleemam, quod erat regis de ſanguine natus
Dauidis, velletq́; ſuam cum nomine gentem
Iſtic teſtari, ſimul & quæ grata monarchæ,
Atq́; accepta forent, nullo ceſſante labore,
Perficere obſequio, cordis ſtudioq́; benigni.
Tranſierant ſaltus Carmeli montis opacos:
Stagnanteſq́; lacus currentis Ciſonis vndas,
Qua viridi profert Thabor ſua balſama colle:
Dumq́; per irriguos, iter Hiericontis agellos
Continuant, metæ tandem pars magna peracta eſt.
Ventum erat ad Solimæ ſublimia mœnia ſedis,
Antiquaſq́; domos Bethles, quas virgo pudica

Poſtquam

Poſtquam luſtrabat confuſa in imagine, viſæ
Obtutuq́; vrbis, dubio ſub corde ſtupebat.
Vt vero diſcuſſæ vmbræ, ac lux reddita menti eſt,
(Iam magis exactè ſecum perpendere ſacra
Scripta Prophetarum de ſe, partuq́; futuro
Cœperat, atq; loco fieret quo patria Chriſti)
Compoſitas oculorum acies ad mœnia vertit,
Agnoſcenſq́; vrbem placido ſic pectore fatur.
Exoptata diu nocteſq́; dieſq́; videri,
Exoptata mihi Bethel ſalueto, ſupremi
Nati macte Dei patriis ſplendoribus aucta:
Appares tandem ſedes gratiſsima, magni
Vicit opus tantum, tamq́; inſuperabile, virtus,
Dextra Deiq́; potens: en cerno, & credo tonantis,
Nec quæ facta mihi, reliquis nec quæ data poſſe
Fallere vota Iouis: me ô terq́; quaterq́; beatam,
Luminibus quæ luſtro meis hæc tegmina, Hebræi
Ne typica vlterius pendendum ab imagine vatis,
Seu quæ veridici ſtatuêre oracla Prophetæ.
Faſtidita igitur quamuis, & ſpreta videtur
Vrbibus hæc aliis ſtructura illuſtribus alta,
Se reliquas inter tantum tamen efferet vrbes,
Quantum denſa ſolent inter vepreta cupreſsi:
Vt nequeant aliæ ſedes virtutis honore
Cenſeri huic pariles, aut tecta æqualia vico.
Hic noua progenies cœlo delapſa ſupremo,

Verus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Verus homo, veruſq́ Deus naſcetur Ieſus,
Ex me ceu Gabriel atq́ enthea corda Prophetæ
Prædixêre ſacrâ dictante hoc numinis aura:
Hic fortis, validusq́ Siloh oriundus iniqui
Egregiis totum mundi, qui laudibus orbem
Complebit, cunctoſq́ ſua virtute potentes
Sub iuga victoresq́ trahet, quem gloria ſummo
Oceanum tranſgreſſa ingens æquabit olympo.
Dixit, & inde abiens humilem ſe vexit in vrbem.
Interea mergit Phœbus ſua lumina in vndas,
Et piger inflexum veſper complectitur orbem:
Vltimus en caſulam torto locus vrbis habebat
Vimine contextam, culmis, cannaq́ paluſtri,
Hoc ſubeunt nigra cœcum fuligine tectum,
Atq́ hîc decumbunt ambo tetrum inter odorem:
Namq́ in ſeceſſu paruo ſub limine eodem,
Arboribus nullis clauſi, ſed vimine torto
Errantes tauri fœdarunt omnia circum.
Nox erat, & tacito requierunt cuncta ſopore:
Omnis ager ſiluit, pecudes, pictæq́ volucres
Lenibant curas, oblitaq́ membra laborum:
Et placido Ioſeph ſomno mandauerat artus:
Aſt animi felix virgo non ſoluier vnquam
In dulcem potuit cæca ſub nocte quietem:
Sed caſto dubiam ſecum ſpem pectore verſans,
Huc illuc animum partes diuiſit in omnes.

Tem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Temporaq́ expendens poſtquam perſentit adeſſe,
Quo grauidi pareret cœleſtia ſemina ventris
Exultat, totaq́ Deum ſic mente precatur:
O Pater omnipotens rerum cui ſumma poteſtas,
Cum jam ſe acceleret tempus, propiusq́ recurrat
Augurii ad finem, ſummuſq́ hîc terminus adſit,
Per me præſago quæ cantant numine vates
Euentum vt capiant, & pura virgine Chriſtus
Ex me deducat fragilis primordia vitæ:
Qui me ſumme, inquam, Rex tanta ad fata vocaſti,
O Deus eſto tuæ præſens, faciliſq́ miniſtræ.
Quo te mirandum, ſemper fideiq́ tenacem,
Cum cœli & superûm decantem carmine turma.
Vix ea fata fuit ſubito cum viſcera partu
Soluuntur, votiſq́ ſuis ſic digna reportat
Præmia, jam nato terræq́ poliq́ monarcha:
Ipſa domusq́ operis tum conſcia plaudit, olympo
Clarior auratis facibus, ſtelliſq́ coruſco.
Quem genitrix poſtquam vinxiſſet mollibus iſtic
Vſus, quæ tulerat, velis, ac faſcibus, atro
Multa immundicie præſepi virgo locauit,
Vulgariq́ ſimul juuenis de more maritæ,
Sæpius ingeminans mellitis baſia labris
Geſtiuit tenerum corpus dare brachia circum.
Iam pridem hanc prolem videre aſtantia bruta,
Fallor an hoc norint cœleſti ab origine natum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Semen, & eſſe Deum, quem ſic vagire jacentem
Auribus accipiunt, en languida corpora tardant,
Terreniq; hebetant ſe artus, inſulſaq; membra:
Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq; reflexo
Inſolitum propius tandem quoq; poplite honorem,
Quem poßunt, referunt, atq; algida membra fouere
Halitibus crebris pueri conantur Ieſu.
Interea abrupto Ioſeph, ſomnoq; fugato,
Vt noua jam rerum facies inopinaq; viſa eſt,
Cerneret atq; ſua genitum de virgine partum
Promiſſum primo cœleſti voce parenti,
Ordine dehinc patribus, totiq; in ſecula genti:
Tantis ecce Dei donis, & lætus honore
Expleri haud potuit, ſed mentem ad ſingula verſans,
Miratur, dat & amplexus, & baſia mille
Infanti, ſummoq; illum veneratur honore.
Sed quæ pompa, tuos, qui ritus, quiq; triumphi
Solennes fecêre ortus, ô Chriſte? tibíne
Canduit aula potens tyrios induta paratus,
Veſtibus intexto & Phrigiis ſpectabilis auro?
Patria gramineo congeſtum ceſpite tectum,
Ingratoq; fuit grauêolens fœtore cubile,
Quod ſuper ipſa ſuos poſuit tua forſan amictus
Mater, nec gelidi concretam frigoris auram
A te quoue tuis arceret ab artubus, iſtic
His præter quicquam fuerat, ſic omnis honoris
Expers

Expers ipſe tua illuſtri defunctus abunde es
Majeſtate, tui viles ortusq́; fuêre.
Scilicet his ſpretis, quas mundus jactat inanis,
Delitiis tenues regalibus antetuliſti
Ortus, vt nobis tua gratia, amorq́; pateret,
Atq; aditus cunctis ad te procliuior eſſet:
Neúe ſuperborum nos fœda exempla, nec vllis
Illecebris ſtolidos in crimina duceret error.
Nam quæ & quanta tui toto ſpectacula mundo
Si non hæc animo ſententia fixa fuiſſet,
Sparſiſſent ortus, mea lingua referre fatiſcit.
Quin mora nulla premit cœleſtia corpora, miram
Dant ſtellæ lucem, inſolito ſplendore coruſcant
Obſcuræ noctes, cœli reſonantq́; ſequentes
Aligeri, & plauſum ingeminant, ſeq́; agmine toto
Miſcentes natum circumſtant vndiq; Regem,
Et dant imperium gratanti laude perenne.
Vos mihi cœlicolæ precor aſpirate canenti,
Quod vidit cœlum, & tellus fieri inſuper omen,
Et quæ ſunt partum miracla ſecuta puellæ.
Abſit enim ingratè tacita ſub mente repoſta
Venturos celem tam grandia facta nepotes,
Et geſta aduentum magni teſtantia Siloh.
En decus eximium miranda luce videtur
Vicinis agri pecorum cuſtodibus, ad quos
Angelus adueniens nocturnas diſcutit vmbras,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Attonita hiſq; illis permulcent corda loquelis,
(Nam timuere nimis cœleſtia ſigna videntes
Dum bene lanigeras pecudes & ouilia ſeruant)
Ne timeatis, ait, quin ſoluite corda timore,
Namq; ſuum primo teſtari ſemen adeſſe
Vobis altitonans donatq; in carne tueri:
Cantet io pia turba Deo, Deus ecce triumphans
Aurea ſupremi liquit faſtigia cœli,
Liquit, & in terram veterum ceu priſtina quondam
Innumeris cecinere locis præſagia vatum
Venit, Bethlemæ natus qua mœnia ſurgunt.
His igitur cernens ſuſpenſam blanda viciſsim
Gaudia pertentare animum, jubet ocyus illos
Ire citos, alacreſq; pedes ad mœnia ferre,
Faſciolis puerum, dicens, ea ſigna patebunt,
Cernetis vinctum, & cunas præſepia habentem.
Vix hæc ediderat, ruptis cum nubibus ingens
E cœlo chorus angelicus rutilantibus alis
Irruit, en fulgens & totum vocibus hiſce
Impletur cœlum: Sanctæ, triadiq; ſacratæ
Gloria, laus, & honor, virtuſq; manebit in æuum:
Et nunc qualis adeſt terris ſitientibus imber,
Detonſos pratis rurſus qui reddat honores,
Talis erit cœli mundo Rex miſſus ab arce:
Pax iterum miſeros mortales alma reuiſet,
Pax non diſceſſura prius, quam deſinet eſſe

Ipſe

Ipſe Deus, toto illius & cum numine verbum:
Atq; hominum Domino conformis, & vna voluntas.
Quæ poſtquam aligeri volucres de culmine cœli
Intonuere, Deuſq́ ardentem luce, potenti
Concutiens dextra monſtrauit ab æthere nubem:
Terror abit, rediitq́ animo cum pectore ſenſus.
Haud mora feſtinant juſsi, rapidiſq́ feruntur
Paſsibus ora Dei cuſtodes dicta tueri.
Iamq́ iter emenſi, portas, atq; obuia juxta
Mœnia cernebant vrbis, queîs limina Chriſtus,
(Nec poſitu, formáue loci, prædicta fefellit
Nuncia vox illos) natus decumberet infans.
Ingreſsis ideo caſulam, partuq́ reperto,
Primo ingens mentem rumpit pauor, oſſaq́, & ora
Frigidus ex toto diſtillat corpore ſudor:
Nec quid agant, quali partúmue ambire jacentem
Affatu poſsint, certum eſt, dehinc omnia ſacris,
(Sic mouet eximium formæ decus, oraq́ Chriſti,
Sic mouet & præſens tantarum gloria rerum)
Carminibus complent, & laudes voce ſonora
Æterno pergunt Iehouæ memorare, tibiq́,
O venerande Puer, velut illa immenſa meretur
Majeſtas, ortuſq́ tui pia carmina pſallunt:
Vt qua ſol fertur, qua luna videtur, & orbis
Æquoris extremi curuis incingitur vndis
Omnibus effluerent Domini genitalia plagis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Quæ ſic diuerſa terræ dum parte feruntur,
Et volat eoum prænuncia fama per orbem,
Stellam de cœlo diuina potentia miſit,
Stellam, quæ prius eſt nec cœlum menſa nec orbem:
Quam ſuperum poſtquam vibrari à vertice, denſas
Atq; inter nubes cœli in regione periti
Per ſudum vidêre magi rutilare ſerena,
Magna voluntatum, & ſubita inclinatio mentes
Hos auidè cæpit, noſcendi ingenſq; voluptas
Conſpecti fines portenti, effectaq; ſtellæ.
Triſtia læta igitur dubio ſub corde reuoluens
His alius verbis alium ſuadendo monebat,
(Expletum quia fortè æuum, & jam tempus adeſſe
Annorum ſerie, & facta ratione, putabant
Quo mundi lumen Chriſtusq; veniret Ieſus)
Quid dubitas? nunc tempus iter, nunc poſcere vatum
Scripta viam: quin rumpe moras, atq; arripe curſus:
Namq; ſequi certum eſt, quo nos ſors cunq; fatigat.
Ergo accinguntur, Nabathæaq; regna relinquunt
Multa Deum orantes, implenteſq; æthera votis:
Præcipitatur iter, gentes mirantur, & omne
Miratur nemus ignotæ veſtigia gentis:
Aſt illi curſu noctemq; diemq; fatigant,
Et longos ſuperant flexus. ſublimia donec
Tecta vident Solimæ, & portis ſucceditur vrbis.
Vt verò hos Solymi vidêre, atq; inter apertæ

Ancipites

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Ancipites errare vrbis pomeria ciues,
Terrentur cuncti ſubito, volat obuius ipſe
Herodes Rex, atq; rogat quæ cauſſa ſubegit
Inſuetas tentare vias, quò tenditis, inquit?
Accepitq; manu, dextraſq; amplexus adhæſit.
Tum Regem dictis his contrà affantur amicis:
Optime Idumorum Rex, nulla ſorte, ſed vno
Conſilio hos fines, animiſq; volentibus vrbem
Afferimur, pietas, & ſacra oracula vatum,
Inſolitumq; polo ſydus, quod fulſit ab alto
Huc nos aduexit, certum eſt quoq; deinde ſecare,
Quod nobis oſtentat iter: nam ſemen adeſſe
Promiſſum mundo, ſummi natumq; parentis,
Qui patriis totum implebit virtutibus orbem,
Et regni faſces, & habebit ſceptra Dauidis,
Natum portendit verè, qua Bethla puſilla
Deformes monſtrat ſenioq; ſituq; ruinas.
His ergo dictis, magna formidine captus
Herodes, illos falſa eſt mox voce ſecutus:
Cum mens illa ſiet, ſtetq; hæc ſententia cordi,
Ignotæq; vias cupiatis ſtringere terræ,
Numine veſtra Deus felici incæpta ſecundet.
Vos autem edocti viſum, precor, ordine cuncta
Quæq; referte mihi, nam geſtio pectore toto
Haud ficto huic animi, cordis ſtudioq; probari
Heroi, atq; omni gratari munere, quicquid

Regio

Regio & illius conducere poßit honori.
Queis vbi ſollicitos animi narrauerat æſtus
Vocibus, & vana ſpe mentem vicerat ægram:
Flectere iter miſſum, cæptoſq́; repoſcere curſus
Chaldæi incipiunt, ſtellæ ductumq́; ſequentes
Fatiferum ad caſulam nunc ipſam aduexerat illos
Sydus, concordes ſtabili qua numine vates,
Omnis & hiſtoriæ diuinæ conſonat ordo
Venturum Chriſtum, placidos quam deſuper orbes
Poſtquam vertebant, ſolitum quoq; ſiſtere curſum
Cernebant flammam, radiis nec vt ante præire,
Impellunt dextras clauſtris, & cardine aperto
Ingreßi tugurum ſubeunt, ſic fortè loquuti:
Quis te nate Deo, quæ vis his appulit oris,
Naſci & tam vili plebis de ſtirpe coëgit?
Cur te magnifico non excipit aula paratu?
Cur tibi nulla domus regali ſplendida luxu
Inſtruitur? cur non conuiuia læta parantur?
Durum ô ſtirpe genus, quod nulla mouere, vel ipſa
Ipſa Dei poſſunt lugubria fata tonantis.
Accelerant ſua vota citi, ſua munera Chriſto
Aurum, Thus, Myrrham, gratanti pectore donant,
Et ſummæ benefacta Dei bonitatis, & illam
Conſtantem celebrando fidem vox ſoluitur illis.
Hæc ita: jamq́; aderant obſcuræ tempora noctis,
Membraq́; languidulus mortalia ſomnus habebat:
Cùm

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Cùm (mirum dictu) mentem ſonus implet, & aures
Chaldæis, cœloq́ jubet vox facta priori
Ordine diuerſo repetant vt regna paterna.
Idcirco nitido legati oriente profecti
Dum fato in patriam, Nabathæaq́ regna reuiſunt,
Feruere Idumæum, glomerari & ſanguine multo,
Vndiq́, quà imperium regeret, puerilia membra:
Illic namq́ odio, natiq́ furore tyrannus
Meßiæ infantes vna ſub ſorte puellos,
Quos vel cognouit jam tum circa vbera matris
Ludere ridentes, ablactatoſq́ recenter
Vel binos clauſiſſe annos, necat improbus enſe,
Dum fuſo fœdat puerorum ſanguine vicos.
Aſt Ioſeph tanta concuſſus pectora clade,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Voluens nutabat, Bethléſne reſideret aruis
Saluus & vna infans? aliáſue capeſceret oras?
Auxilioq́ vocat Dominum, votiſq́ fatigat,
Vt vel quod ſupereſt natorum euadere donet
Infenſum Martem, proprium ſeu vindice dextra,
Eripiatq́ ſuum præſenti funere natum.
Cui reſponſa Deus tandem, monituſq́ ſilenti
Nocte dedit tales, ſomno expreßitq́ loquelas.
Impius Herodes non exſaturabile pectus
In veſtrum me nunc cogit deſcendere votum:
Namq́ ſuam in puerum rabiem conuertit, & iram,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Ipſum ſola petunt hæc tela cruenta, neceſq́;,
Et quæcunq; nocens ferrum, trux Marſq́; minatur
Funera, nec quicquam niſi mortem intendit in ipſum.
Quare agite, & celeres primo cum lumine ſolis
Maturate abitum, & veſtigia ſtringite verſus
Ægypti fines, dum fœdum extinxero corpus
Ipſius, & calido meritas mihi ſanguine pœnas
Sanguinis effuſi dederit, cædiſq́; patratæ.
Interea effatus tantum reuoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemq́; fugârat.
Ergo viis aptant corpus, juſſisq́; parant ſe
Greſſibus. Infantem (cunctis heu flebile viſu
Exemplum, mira atq; animi conſtantia ſexus
Fœminei, fatum quippe hoc præſensq́; coëgit
Diſcrimen vitæ) fert vlnis ipſa Maria.
Vna ſaluſq́; illis, vnum, & commune periclûm,
Quo ſors cunq; tulit, ſemper fuit, vnaq́; vitæ,
(Dum vel iter carpſêre, ignotæ & tecta colebant
Ægypti) hinc triſtis facies, hinc blanda viciſſim,
Nec prius à patriis conſpecti finibus vſquam
Iudæam repetunt, deſertaq́; mœnia Bethles,
Quam Deus Herodem feruore accenſus, & ira
Terribilis victum mortali vulnere corpus
Immolat, & pœnam ſcelerato à ſanguine ſumit.
Talibus auſpiciis quid confirmata, procaci
Gutture, & inſano cordis faſtuq́; tumenti,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Tu Iudæa cohors luctantibus irrita ventis
Conuicia aduerſus Chriſti Natalia ſpargis?
Atq; ipſum penitus rabioſo pulſa furore
Humanæ ſpolias vitæ integritate? tuiq;
Meßiam rurſus de ſanguinis aſſore ab ortu
Illuſtri exſpectas magnum, ditemq; monarcham?
Hoc ſtudio fruſtra ſacrata volumina verſas
Confirmando hujus concepti errata furoris.
Verus homo, veruſq; Deus ſaluator Ieſus
Natus adeſt, ipſum cuncti laudate fideles,
Quo duce cuncta manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita, quiq; omni ſoluit formidine terram,
Atq; ærumnarum patiens, & mille perhauſtis
Inſidiis vitæ, diris quoq; cladibus, ægras
Terrigenûm vires plane inſtaurauit, atroci
Turbine jactatos ſaluo portuq; recepit.
Verus homo, veruſq; Deus ſaluator Ieſus
Natus adeſt, ipſum cuncti laudate fideles,
Cujus miranda eſt, viuax, immenſaq; virtus,
Qua velut in fornace aurum torretur, & omni
Exuitur prorſus vitioſa mole, liqueſcunt
Pectora, & æterno redduntur grata parenti:
Vnde liquor ſapidus magis effluit, vnde magiſq;
Fluminis in ſpeciem mitis procedit, & ipſum
Nectar Euangelij promanat diuite vena.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Verus homo, veruſq; Deus, ſaluator Ieſus
Natus adeſt, ipſum cuncti laudate fideles:
Corda preces fundant, oneratáq; pectora votis
Diuinis ſument, & laudibus ora ſacratis:
Perq; fera, ac mortis grauiora pericula vecti,
Peccatiq; æſtus, carnis duplicesq́; furores,
Regis & inſidias mundi, per quicquid acerbum,
Infauſtum, & crudele foret, vobiſq́; nociuum,
Tu veneranda patrum præſtans virtute corona,
Voſq; piæ matres, pueri, innuptæq; puellæ,
Vnanimes cuncti ſanctam conuertite mentem
In melius, jam finis adeſt, hic meta dolorum
Fixa eſt, atq; ſua Dominus cum gente quietem
Iunxit, & impoſita eripuit de clade malorum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3449 4° (LN 1485)